

FORMA MINISTRANDI
SACRAMENTVM
EXTREMÆ VNCTIONIS
Juxta Cæremoniæ Fratrum Ordinis
Sanctissimæ Trinitatis, & Re-
demptionis Captivorum.



VLYSSIPONE,

Ex Officina MICHAELIS DESLANDES

Serenissimi Regis Typographi.

Cum facultate Superiorum, Anno 1688.


FORMA MINISTRANDI
SACRAMENTUM
EXTREMÆ VICTIONIS
Juxta Cæremoniæ Fædum Ordinis
Sacillimæ Trinitatis, & R.
deceptionis Captivorum.



ALYSIPONE
EX OFFICINA MICHAELIS DESTANDES

Securissimi Regis Typographi.

Cum Saculari Superiorum. Anno 1688.



CÆREMONIALE.

Postquam infirmus extremam petierit unctiōnem, debito tempore ei in hunc modum conferatur. Prælati diligenter curet, ut infirmi domus omnibus necessarijs congruenter exornetur, in qua sit mensa cum alba mappa, in ipsa que Crux portatilis, & ex utraque parte duo candelabra cum cereis.

Deinde Sacrista, præparatis infirmorum oleis, cum Campana signum congregandi Conventus faciat, & interim præparetur Crux juxta pectus in manibus portanda, Abenulum aquæ benedictæ, laterna cum accenso cereo, stupa, & patena Calicis in Paropside cum pane secundo: statimque Prælati ad Sacristiam veniat, induatque superpelliceum, Amictum, & Stolum, alicuique Præsbytero cōmendet, ut superpelliceo indutus Paropsidem cum supradietis portet, eumque in hoc ministerio adjuvet.

Postea Prælati oleum infirmorum in manus accipiat, illudque processionaliter in extrema parte Conventus deferat, ad cujus sinistrum latus Sacerdos Paropsidem portans incedat: protinusque elevata voce idem Prælati incipiat Psalmum, Miserere mei Deus, quem Conventus similiter alternatim prosequatur, cum reliquis sibi visis pro distantia loci. Præcedat Crux modo supra dicto, & laternarius cum accensa lucerna, & Acolythus cum Abenulo aquæ benedictæ; & ubi primum ad domum infirmi omnes pervenerint, Prælati dicat Pax huic domui: (& respondeat Conventus) & omnibus habitantibus in ea.

Statim Prælatus dicat Orationem sequentem.

Oremus.

Signum salutis pone Domine in domibus istis, & non permittas introire Angelum percutientem in domos, in quibus habitamus: de Cælo pone signum tuum Domine, & protege nos, & non erit in nobis plaga nocens. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde Prælatus aspergat infirmum aqua benedicta in modum Crucis, & totam domum, dicens:

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Versus. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen: & repetatur Antiphona, Asperges me Domine, &c. *Qua finita, Prælatus dicat:*

ÿ. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis:

ÿ. Exaudi nos Deus salutaris noster.

R. Spes omnium finium terræ, & in mari longe.

ÿ. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi Domine preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis: ut quos conscientie reatus accusat, indulgentia tue pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus.

Oremus.

Preſentiat hunc famulum tuum Domine, quæſumus, miſericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, ut non ſit ab hoc famulo tuo. N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio: ſana vulnera, ejus que remitte peccata, ut nullis iniquitatibus à te ſeparatus tibi Domino Deo ſemper valeat adhærere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Oremus.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris: respice, quæſumus, ad hunc famulum tuum, qui graviter peccaſſe confitetur: tuum eſt ablutionem peccaminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti, penitentiam malle peccatorum, quam mortem: concede ergo Domine huic famulo tuo, ut tibi penitentiæ exultans celebret, & correctis actibus ſuis, conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratuletur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Oremus.

Preſta, quæſumus Domine, huic famulo tuo dignum penitentiæ fructum: ut Eccleſiæ tuæ, à cujus integritate deviavit peccando, commiſſorum reddatur innoxius, veniam conſequendo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Poſt hæc infirmus per ſe, vel per alium, generalem confeſſionem faciat, Prælatuſque, & ſimul reliqui Sacerdotes adſtantes, eum generaliter abſolvant: & deinde in patena, quæ eſt ſuper Paropſidem, quam Sacerdos ſuperpelliceo indutus præ manibus habeat, de oleo infirmorum ponat, quantum ſibi viſum fuerit ſufficere, & poſtea incipiat Antiphonam:

Dominus Jesus locutus est (& *Conventus prosequatur*.)
Discipulis suis: In nomine meo demonia eijcite, & super
ægros manus imponite, & benè habebunt.

*Præsbyteri, qui præsentés fuerint, manus super infirmum
imponant, dum dixerint, super ægros manus, &c. protinus
Cantor maior incipiat voce aliquantulum elevata recitare*

*Psal. 3. Domine, quid multiplicati sunt qui tribu-
lant me? multi insurgunt adversum me.*

Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, &
exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de
monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: & exurrexi, quia Domi-
nus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge
Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine
causa: dentes peccatorum contrivisti,

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Postea Prælatus stans dicat:

Oremus.

OMnipotens sempiternè Deus, qui per beatum Apo-
stolum Jacobum dixisti: Infirmatur quis in vobis,
inducat præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, un-
gentes eum Oleo sancto in nomine Domini, & oratio
fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si
in peccatis sit, dimittètur ei: te suppliciter exoramus, ut hic
famulus tuus N. per mysterium nostræ unctionis, & do-
num tuæ sanctæ pietatis, peccatorum suorum veniam
consequi, & ad vitam æternam pervenire mereatur. Per
Christum Dominum nostrum &c. Amen.

Oremus

Oremus. 1

Adesto Domine supplicationibus nostris; & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi; & quem non electione meritis, sed dono gratiæ tuæ, constituisti hujus operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. *re. Amen.*

Rursus Prælatus incipiat Antiphonam.

Sana me Domine: (*& Conventus prosequatur*) quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valdè, sed tu Domine convertere, & eripe animam meam.

Et interim Prælatus intincto pollice in Oleo sancto faciat signum Crucis de ipso Oleo sancto in corpore agri, in locis subscriptis, ad unamquamque crucem, propriam orationem dicēs: & prima unctio super oculos cum hac oratione.

Per istam sanctam unctionem, ✠ & suam pijsimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum. *re. Amen.*

Dum hæc fiant, Cantor maior incipiat

Psal. 6. Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu Domine usquequò?

Convertere Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Dis-

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valdè velociter.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Statim Prælatus dicat Orationem sequentem.

Oremus.

DEus qui famulo tuo Ezechia Regi ter quinos annos ad vitam donasti: quæsumus, ut hunc famulum tuum à lecto ægritudinis tua potentia erigas ad salutem. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Finita hac Oratione, postquam Conventus finierit supradictum Psalmum, rursus Prælati incipiat Antiphonam:

Erat quidam Regulus, (& conventus prosequatur) cujus filius infirmabatur Capharnaüm, hic cum audisset, quia Jesus veniret in Galileam, rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus.

Interim verò Prælati intincto pollice in Oleo sancto (supradicto modo) super aures infirmi signum Crucis faciat, dicens:

Per istam sanctam Uctionem, ✠ & suam pijsissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per auditum. *R.* Amen.

Dum hæc fiant, Cantor maior incipiat

Psal. 31. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamerem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Deli-

Delictum meum cognitum tibi feci : & injustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

In campo, & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Prælati dicat Orationem sequentem.

Oremus.

Respice Domine famulum tuum N. infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti: ut castigationibus emundatus, continuò se sentiat tua medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum &c. Amen.

Finito Psalmo, Prælati dicat Antiphonam

Domine descende, ut sanes (& *Conventus Prosequatur,*) filium meum, priusquam moriatur: dixit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit.

Prælati (supra dicto modo) super labia infirmi signum Crucis faciat, dicens:

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam pijsimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per gustum. R. Amen.

Supradicto modo Cantor maior incipiat Psalmum, & hic idem ordo in sequentibus servabitur.

Psalm. 37.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei: adversum me appropinquaverunt, & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi: nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Praelatus dicat Orationem sequentem.

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum N. ex adversa valetudine sui corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, ac cælestis gratiæ præsta medicinam. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Praelatus incipiat Antiphonam

Cor contritum, (& Conventus prosequatur,) & humiliatum Deus non despicias, sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei Deus.

Praelatus (ut supra) super naves infirmi signum Crucis faciat, dicens:

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam pijsimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per odoratum. R. Amen.

Cantor maior (ut supra) dicat

Psam. 50.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiā: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te convertentur. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: &

exul-

exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Prelatus dicat

Oremus.

DEus, qui humano generi, & salutis remedium, & vitæ eternæ munera contulisti, conserva famulo tuo N. dona, virtutem concede, ut medalam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per Christum Dominum nostrum *ꝛ.* Amen.

Deinde Prelatus dicat Antiphonam

Domine, puer meus (& *Conventus prosequatur*) jacet Paralyticus in domo, & malè torquetur: & ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum.

Prelatus (ut supra) super manus infirmi signum Crucis faciat, dicens:

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam pijsimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per tactum. *ꝛ.* Amen.

Dum Cantor maior dicat.

Psalm. 101.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cre-

cremium aruerunt.

Percussus sum ut fenum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni mee.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei; & qui laudabant me, aduersum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ: quia elevans allifisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fenum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem, & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia edificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non spreuit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelsis sancto suo: Dominus de caelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: & reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij servorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigitur.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Prelatus dicat

Oremus.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem langorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per Christum Dominum nostrum. *℞.* Amen.

Deinde Prelatus dicat Antiphonam

Domine non sum dignus, (*& Conventus prosequatur,*) ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

Prelatus (ut supra) super pedes infirmi signum crucis faciat, dicens:

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam pijsimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti in cessu pedum. *℞.* Amen.

DE profundis clamavi ad te Domine. Domine exaudi
 vocem meam.

· Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis
 meæ.

· Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis susti-
 nebit?

· Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam su-
 stinui te Domine.

· Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea
 in Domino.

· A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in
 Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum
 redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Prelatus dicat

Oremus.

Domine sancte Pater Omnipotens æterne Deus, qui
 fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ
 dignatione confirmas, ut salutaribus remedijs pietatis
 tuæ, corpora nostra, & membra vegetentur: super hunc
 famulum tuum N. intende; ut omni necessitate corporeæ
 infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecte
 reparetur. Per Christum Dominum nostrum. &c. Amen.

Deinde Prelatus dicat Antiphonam

Cum sol autem occidisset (& *Conventus prosequatur*)
 omnes, qui habebant infirmos varijs langoribus, ducebant
 illos ad Jesum, & sanabantur.

Prelatus (ut supra) super lumbos infirmi signum Crucis
faciat, dicens:

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam pijsimam
 misc-

misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per ardorem libidinis. *R.* Amen.

Cantor maior incipiat

Psalm. 142.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, & Filio &c.

C.

Pre-

Prelatus dicat
Oremus.

Per istam Unctionem, & benedictionem mundentur ab omni sordē, & contagione peccati, ac sanctificentur manus, & os, cor quoque & tactus, odoratus, visus, auditus, & gustus, totusque corporis, & animæ tuæ sensus, ut idoneus efficiaris ad invocandum ejusdem Domini nostri nomen: reddat tibi Dominus lætitiā salutaris sui, & spiritu principali confirmet te: Spiritum Sanctum innovet in visceribus tuis, & non auferat illum à te, sed auferat à te omnia tua peccata: & benedictio Dei ✠ Patris, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, descendat in te: quæ copiosè super te defluat, & in extremam totius corporis tui partem descendat, interius exterius que repleat, atque circumdet, ac semper sit tecum. R. Amen.

Advertat Sacerdos superpelliceo indutus, quòd locum inunctum cum stupis abstergere debet, quas in Paroſide reponat, & sic faciat in qualibet unctione: idemque Sacerdos omnibus orationibus respondeat, Amen, dum Conventus in Psalmis recitandis est occupatus: Infirmarius verò præparet quælibet corporis loca infirmi ungenta.

His peractis, Prelatus elevata aliquantulum voce incipiat Antiphonam

Sana Domine infirmum istum, (& Conventus prosequatur), & medicare eum medicamine salutis, ut pristinae sanitati restauratus, gratiarum tibi referat actionem.

Cantor maior incipiat

Psalm. 66.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum,

Conf-

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent Gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Finito Psalmo, Prælati incipiat

Kyrie eleison. (*Conventus prosequatur*)

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Deinde Prælati dicat

Pater noster.

ψ. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo.

ψ. Salvum fac servum tuum.

℞. Deus meus sperantem in te.

ψ. Convertere Domine usquequò.

℞. Esto deprecabilis super servum tuum.

ψ. Nihil proficiat inimicus in eo.

℞. Et filius iniquitatis non nocebit ei.

ψ. Dominus conservet eum, & vivificet eum.

℞. Et beatum faciat eum.

ψ. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.

℞. Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

ψ. Dominus custodiat introitum ejus, & exitum ejus.

℞. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.

ψ. Mitte ei Domine auxiliũ de sancto.

℞. Et de Sion tuere eum.

ψ. Libera eum Domine Deus Israel.

℞. Ab omnibus angustiis suis.

ŷ. Ostende ei Domine misericordiam tuam.

℞. Et salutare tuum da ei.

Cantor maior incipiat Psalmi. 24.

AD te Domine levavi animam meam : Deus meus
in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei : etenim universi,
qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: supervacue.

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me : quia tu es Deus
salvator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.

Delicta juventutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu propter
bonitatem tuam Domine.

Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in iudicio : docebit mites vias suas.

Universe viæ Domini misericordia & veritas : requiruntibus testamentum ejus, & testimonia ejus.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur : & semen ejus hereditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum : & testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, & miserere mei : quia unicus, & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt: & odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, & erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes, & recti adheferunt mihi: quia sustinui te.

Libera Deus Israel: ex omnibus tribulationibus suis.

Psal. 40.

BEatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?

Etenim homo pacis mee, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me

Me autem propter innocentiam suscepisti : & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & usque in sæculum : fiat, fiat.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Quibus finitis, Prælati surgat, & dicat

☩. Domine exaudi orationem meam.

☩. Et clamor meus ad te veniat.

☩. Dominus vobiscum.

☩. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens Deus, qui in nomine unigeniti Filij sui misit Spiritum Sanctum secundum promissionem suam Discipulis suis, effundat super te Paracletum septiformem de Cælis: repleat te spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus intellectus, & sapientiæ, qui excoquat omnem rubiginem peccatorum, ut nullis jam iniquitatis, vel fragilitatis confundaris erroribus, sed inducat in omnem, sicut idem promisit filius, veritatem, spiritus scientiæ, custodiatque à totius nequitæ pravitate, & mundanæ conversationis, seu carnalis immunditiæ cogitatione, ac impuræ mentis affectu, & ab omnium inimicorum visibilium, & invisibilium infestationibus, vel incurso liberet, & perducatur ad gratiam, & gloriam regni sui, cujus honor, & virtus, & imperium permanet in sæcula sæculorum.

☩. Amen.

Oremus.

DEus humani generis benignissime Conditor, & misericordissime Reformator: qui hominem invidia Diaboli ab æternitate dejectum, unici sanguine Filij tui redemisti: vivifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori desideras; & qui non derelinquis devium, assume correctum: moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria: tu ejus medere.

dere vulneribus: tu jacenti manum porrige salutarem: ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur: ne grex tuus detrimentum sustineat: ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet: ne renatum salutari lavacro mors secunda possideat. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

His finitis, omnes surgant, & servato ordine, quo venerunt, in Sacristiam revertantur. Si tamen infirmus tali fuerit morbo oppressus, ut omnia supra dicta præstari nequeant, quæ rei eventus, & infirmitatis qualitas postulaverint, efficiantur Stupæ, more solito, in Sacristia comburantur.

deus vincit; in facili manu portat gloriando
Ecce tua alius in corpore portat
tuis detrimendum iustitiam de facili tua mano
mirus existeret tentum saluti lavato mors secunda
possidet Per Christum Dominum nostrum Amen

His hinc sunt factum & servato
tuo in sacrificio tractantur. Si autem
ut morbo oppressus, ut omnia supra dicta
per te veniant & in similitis qualitate
ante te, more solito, in sacrificio conantur

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

D... *[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*